

sed eos etiam qui extra Ecclesiam sunt, ad eam adducere, et gentibus quoque remotissimis, quae suave Christi iugum ignorant, evangelii veritatem annuntiare ac promulgare, avidissime expetimus. Regum autem catholicorum ea in primis insignis est laus, summorum Pontificum studia, labores, sollecitudines ad fidei propagationem omni ope et opera adiuvare ac propterea Maiestatem Tuam potissimum, tanta potentia, tantis viribus, tanta regnorum et ditionis amplitudine extulit Deus, ut lux evangeli ab hac sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, Te strenue adiuvante, in nationes etiam a Nobis disiunctissimas quam latissime diffundatur, neque enim dubitamus, Maiestatem Tuam pro sua prudentia intelligere et pro sua praestanti pietate velle, iure ac merito a Te Deum postulare ut quae Tibi ipse tribuit, ut ad eius gloriam, et honorem praecipue conferas et convertas. Sed quae nunc a Te petimus, nec magna nec difficilia sunt, sed quae tamen benedicente Domino, ad res plane maximas aditum aperire et viam munire facile poterunt. Audivimus saepe, quod et Maiestatem Tuam audisse arbitramur, regem Persarum multis ac non osculis indicii praese ferre, se animo sane propenso esse erga Christianam religionem, sed nuper id multo certius cognovimus ex Lusitano sacerdote Francisco Costa, qui ex India per praesidem [sic] Romam venit, quem vir nobilis dux Suessae, orator Tuus, ad Nos introduxit, Is mira quaedam, et quae vias Domini cogitanti lacrimas praegaudio elicere possint, de rege illo narrat, habere eum apud se aulicos et viros primarios complures Christianos, quos ipsemet palam per occasionem Christianos esse cum multa voluptate indicat, sacerdotes et presbyteros a Nobis et a Romana ecclesia valde expetere, eius rei causa certam ad Nos legationem misisse, seque etiam amoris et amicitiae Nostrae per cupidum ostendere, ecclesiam praeterea aedificari iussisse, ut ibi christiano ritu Deo serviatur. Quae et alia complura cum attentius consideraremus, adhibitis etiam in consilium dilectis filiis cardinalibus congregationi fidei propagandae¹ a Nobis praefectis, non minus piis quam prudentibus, memores a Christo Domino dictum esse beato Petro, et Nobis in eo: Duc in altum et laxate retia vestra in capturam, et denique scientes nullum verbum esse impossibile apud Deum, statuimus tantam occasionem, divinitus oblatam nullo modo esse praetermittendam, sed litteras ad regem Persarum dare, ita accurate scriptas, quemadmodum tanti negotii gravitas requirit, ac licet eiusdem regis legati nondum ad Nos pervenerint, ac propter viae longinquitatem et varia pericula valde incertum sit, an et quando sint venturi, placet ad eum nihilominus celeriter presbyteros mittere, ne qua in Nobis mora sit, quominus semen divinae gratiae in magni illius regis corde, per evangelii praedicationem, ipso Deo dante incrementum coalescat, et populis illis, qui in tenebris et umbra mortis sunt, vita et veritas, si Deo omnipotenti placuerit, illucescat et denique cum tam potenti et Turcarum tyranno tam infenso principe ea amicitia et benevolentia concilietur, quae Christianae reipublicae universae et Tuae Maiestati atque inclytiae domui vestrae Austriacae, ut Tu optime intelligis,

¹ Cfr. sopra p. 512 n. 5.